



Illustrissime Domine

Parentum meorum uotis lubenti animo ac pro eo quo decet  
 filium obsequio morem gerens, uxorem duxi, Margaretam  
 de Raymond de Modena, uirginem sum nobilitate, tum  
 uirtutibus claram, neptem ex Carolo filio Illustrissimi Domini  
 de Modena, penes quem regnante Ludouico decimo tertio  
 gloriosae memoriae principe, publica de rebus status administ-  
 ratio fuit; qui summam etiam franciae praefecturam cum  
 laude gessit, perfunctus clarissimis legationibus, aliisque  
 honoribus et dignitatibus bene multis, maximè uero  
 Caerulea Torquatorum Equitum uirga notabilis et conspicuus.  
 summam quidem laetitiam parentibus meis, nec non affinibus  
 et amicis attulit hoc matrimonium, et incredibili congratulatione  
 ab uniuersis fere huiusce patriae populis laudatum et  
 probatum fuit. Nihil tamen commodi, nihil iucundi, nihil  
 denique decoris, familia nostra obligasse existimarem: nisi te  
 nostra laetitia participem facerem, id enim singulari qua te  
 colo obseruantia debeo, ut omnium eorum qua mihi auidunt



certiorem te faciam, quod pro tua maxima humanitate, benigno  
animo accipiar ut digneris etiam atque etiam te Rogo. Sane  
hoc unum velim sic habeas; nihil mihi incunandius ac  
optatius, ac incunandius accidere posse; quam si in hoc novo  
vita genere occasionem aliquam, meum erga te Studium,  
officiumque quoquomodo declarandi nancisci possim; Spero  
autem et opto mihi (Divina fauente gratia) nascituros  
fore Liberos, qui hoc consentiant; ut tibi singularem, ac  
debitam meritis tuis reverentiam tribuant, utque paterni in  
te obsequii heredes, et successores observantissimi habeantur.  
Illud profecto maxime curabo eos potissimum iis moribus ac  
disciplinis Institui et erudiri; in quibus et serenissimo principi  
nostro Auriaco inservire, fidemque intactam et illibatam in  
maxime rebus, quae ad amplitudinem et dignitatem eius  
pertinent exhibere; tibi vero ac tuis beneficiorum quibus me  
auxisti memores se praebere ac probare aliquando valeant; eaque  
cum tanta sint ut nullo unquam officiorum genere aequari

possint; minima saltem ex parte assequantur; Rogo te interim ut  
me patremque meum Licet immerentes benevolentia tua  
Complacere, nobisque favere pergas; uelimque tibi persuadeas  
nihil nobis unquam futurum antiquius, quam ut Constantiam  
erga nos voluntatem tuam perpetua nostra observantia —  
testimoniis promereri ualeamus; omnemque operam in eo  
Consumpturos, ut summum dignitatis tuae hunda uel etiam  
augenda studium nostrum perspicere et intelligere facile  
possis. Vale Carpentoracti hae die 6<sup>a</sup> nouembris 1664.

Illustrissimae Dominationis tuae

Adiectissimus et obsequentissimus  
seruus  
Desobriass

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*